



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 33. Pugna ad Boviniacum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII. Tyrannorum seu latrunculorum, pro-  
A.C. 1214. vincia Petrocoriensis, Lemovicensis, &  
 Rutenensis, in potestatem suam redactis,  
 pacem in illis regionibus restituit.

## §. XXXIII.

*Pugna ad Boviniacum.*

*Rigor. p. 52.* Inter hæc Philippus Rex Franciæ in  
 Flandria Ferrando Comiti, Ottoni Im-  
 peratori & Comiti Saresberienfi, Regis  
 Angliæ fratri, ex patris amica nato, Fer-  
 randi foederatis, arma inferebat, atque  
 cum adversi exercitus ad pontem Bovi-  
 niacensem prope Tornacum in mutuo  
 conspectu starent, Philippus Rex, mi-  
 lites suos ad strenue rem gerendam ex-  
 citaturus, *tota spes nostra, Comilitones  
 in Deo sita est, inquit, Rex Otto, ejus-  
 que satellites a Papa excommunicati, Ec-  
 clesiæ inimici sunt & everfores. Sti-  
 pendia, quibus sustentantur, ex paupe-  
 rum lacrymis, Ecclesiarum Clericorum-  
 que spoliis impii extorserunt. Nos vero  
 Christiani sumus, Communione & sancta  
 Ecclesiæ pace gaudentes. Ut ut pecca-  
 tores, cum Ecclesia tamen sentimus, &  
 credimus, ac pro viribus nostris Clerico-  
 rum libertatem defendimus. Quare ma-  
 gna fiducia a Dei misericordia victo-  
 riam de inimicis nostris speremus.* Re-  
 gi, ita proximos quosque alloquenti, ac-  
 clamant, ut sibi benediceret, moxque  
 pugnae



pugnæ signum tuba datum. Haud pro-  
 cul post Regem stabat Capellanus, Hi-  
 storix hujus Scriptor, nempe Rigordus  
 monachus, & cum eo alius Clericus,  
 qui, audito æris militaris sono, Psalmos  
 centesimum quadragesimum tertium,  
 sexagesimum septimum, & vigesimum,  
 victoriam rogantibus congruos, erum-  
 pentibus lacrymis, decantarunt. Inita  
 vero est hæc pugna die Dominica, vi-  
 gesima septima Julii, anno millesimo du-  
 centesimo decimo quarto, atque victo-  
 ria nullatenus ambigua ex parte Regis  
 Philippi stetit. Ottonem Imperatorem  
 fuga abstulit, Comites Flandriæ & Sares-  
 buriensis capti. Eodem tempore Joan-  
 nem Regem Angliæ, exercitu in Terri-  
 torium Pictaviense exposito, Arcem *Ru-  
 pem Monachorum* dictam in ditione An-  
 degavensi obsidentem, Ludovicus, Re-  
 gis Franciæ filius, depulit. Ut hujus  
 diei lætitia ad posterorum memoriam  
 transmitteretur, Rex Philippus prope  
 Silvanectum Abbatiam *de Victoria* con-  
 didit, in quam Canonicos Regulares  
 Congregationis Parisiensis S. Victoris  
 invexit.

## §. XXXIV.

*Interdictum in Anglia tollitur.*

Ad Festum Purificationis Joannes Rex  
 Romam miserat Joannem Episcopum  
 Nor-

Rigor. p.66.